



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Cautela Confessarii Pro Foro Sacramentali Occasione
Decretorum S. M. Alex. VII. Innoc. XI. Et Alexandri VIII. ...**

Matthaeucci, Augustín

Francofurti Ad Moenum, 1711

§. IV. Schisma.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40684

corpore, vel, quod poterat inferri. 4. Numerum personarum, quas læsit. 5. Qualitatem personæ, an fuerint Clerici, vel parentes, aut Superiores. 6. An ipse fuerit aliis auctor rixæ? Quia tunc non modo est cooperatores, sed causa omnium peccatorum, à cæteris commissorum.

31. Quæritur. *Quid sit seditio?*

Resp. *Est discordia inter membra Reipublicæ, violans inter ea pacem; & contingit, dum una pars insurgit in aliam, sive actu pugnet, sive ad pugnam se præparet. Infert, etiam peccatum contra iustitiam damnificando partem; & contra iustitiam legalem, tendens ad destruendas justas leges latas pro tranquillitate Reipublicæ.*

§. IV.

Schisma.

32. **D**E Schismate diximus, cap. 3. n. 24. Hic aliud resolvendum non remanet, quàm notare, quòd schisma est ex genere suo peccatum mortale; & potest fieri veniale solum ex defectu plenæ deliberationis, non verò ex parvitate materiæ; quoniam separatio, & divisio ab unitate Ecclesiæ, & eius capite, Romano Pontifice (in qua formaliter schisma consistit) non potest esse materia levis. Nam materia levis esse nequit, sed est mortale ab eo recedere, quod est omninò necessarium ad salutem; sed per schisma ab eo receditur: Nullus enim potest salutem consequi extra Ecclesiæ communionem, & unitatem: Utrumque enim est articulus Fidei; & patet ex illo Symboli Constantinopolitani: &

unam Sanctam Ecclesiam: & ex alio Apostolorum Sanctorum communionem. De qua re videatur De-magistris Sylva Ecclesiast. 10. 2. lib. 2. tit. 3. cap. 3.

§. V.

Scandalum.

33. **Q**Uæritur, *Quid sit Scandalum?*
Resp. *Est dictum, vel factum minus rectum, hoc est, malum præbens proximo occasionem ruinae spiritualis. Per factum, intelligitur, etiam ommissio actionis præceptæ. Est scandalum ex suo genere mortale, & oppositum charitati; quia ex charitate tenemur, non facere malum proximo, & velle bonum ipsius: scandalum autem ad ruinam spiritualem adducit. Est semper mortale, si inducat ad peccandum mortaliter. Veniale verò, vel ex imperfecta deliberatione, vel, si est peccati venialis occasio.*

Dicitur *occasio*, & non causa, quia, qui est causa, cur alius peccet, non peccat solum contra charitatem, verum etiam contra virtutem, ad quam violandam inducit, ut contra castitatem, iustitiam, &c. Ex quo sequitur, quòd, qui imperio, suastione, vel consilio est causa inducens ad furandum, peccat etiam contra iustitiam, & tenetur restituere, quia est causa moralis furti; qui verò solum suo malo exemplo inducit hominem ad furandum, non lædit iustitiam, nec tenetur restituere, & peccat solum contra charitatem.

Propterea Confessarius diligenter inquirat à pœnitente, an suo malo exemplo fuerit